

persona divina dicit essentiam in recto ut, posita essentia, ponitur persona et, positis tribus essentiis, ponuntur tres personae. Et ideo clare intelligendum est quid significetur quando dicatur « essentia per modum hypostasis ». Non enim dicit essentiam abstracte consideratam (deitatem), neque dicit essentiam divinam secundum considerationem concretam et philosophicam (habens deitatem), sed dicit essentiam divinam secundum considerationem concretam et theologicam (distinctum habens deitatem). Quia de causa, quando in recto ponitur essentia per modum hypostasis, ponitur subsistens distinctum; et cum in divinis non sit distinctio realis nisi per relationes [DB 703], essentia per modum hypostasis, sicut includit distinctum, etiam in obliquo includit relationem.


Quibus perspectis, habetur intentum. Illud non est personarum constitutivum, quo posito, non ponuntur personae; et illud est personarum constitutivum, quo posito, ponuntur personae. Sed posita deitate vel deitate subsistente, non ponuntur tres personae; et posita deitate subsistente et distincta, ponuntur relationes et ideo personae. Ergo personae divinae relationibus constituuntur.

Deinde, consideranda venit altera asserti pars, nempe, relationes divinae reales personas constitutas distinguunt.

Quod auctoritate probatur facillime. In Deo enim « omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio » [DB 703]. Sed personae sunt, non unum, sed tres inter se distinctae. Ergo per relationum oppositionem inter se distinguuntur.

Quod iterum probatur rationem assignando. Eatenus enim personae divinae distinguuntur, quatenus unaquaeque persona quoddam distinctivum habet. Quod distinctivum, si ens rationis est, facit distinctionem rationis; si autem reale est, aut substantia est, aut accidens, aut relatio. Sed personae divinae sunt realiter distinctae, et ideo distinctivum non est ens rationis. Iterum, personae divinae sunt consubstantiales, unam eandemque substantiam habentes, et ideo distinctivum reale non est substantia. Ulterius, in Deo nullum est accidens, et ideo distinctivum reale non est accidens. Et ita relinquatur ut relationes divinae reales personas constitutas distinguant.

Tertio, per modum corollarii additur definitio proprietatis personalis. Proprietas enim personalis in divinis est illud attributum proprium, quod personam constituit atque distinguit. Sed, uti supra probatum est, relationes divinae reales



dictas personas nominare possimus; sed sufficet solius definitionis verificatio ut rite nomen personae iis tribuatur.

E contra, cum personae notio, uti dictum est, saeculorum decursu plenius intellecta sit, quae posterioris sunt inventionis, in traditione priori non inveniuntur explicite posita. Frustra apud S. Augustinum quaeres definitionem S. Thomae; neque inde legitime concludes doctrinam catholicam de personis divinis nihil aliud esse quam convenientiam nominis communis, quo facilius de Patre, Filio, et Spiritu simul disseratur. Eiusmodi enim conclusio ad idem genus pertinet ac opinio reprobata, nempe, « ad pristinos fontes redeundum est et ex antiquorum scriptis recentiora Magisterii constitutiones ac decreta explicanda sunt »¹². Similiter, quamvis theologi mediaevales data opera de conscientia minime disputare soliti sint, satis patet catholicos nedum theologos sed ne fideles quidem umquam Deum inconscium vel personas divinas inconscias adorasse. Quis enim ab inconscio peteret misericordiam, vel quis eam petendam non habet? Quod si ad sensum fidelium pertinet divinas personas esse conscias, theologi est viam quaerere ad hanc conscientiam clare distincteque declarandam, ne ipse illius servi inutilis reprehensionem audiat, qui talentum domini acceptum in confossa terra abdidit.

ASSERTUM VIII

RELATIONES DIVINAE REALES, SUBSISTENTES, ET INTER SE REALITER DISTINCTAE PROPRIE DICUNTUR ET SUNT PERSONAE.

Termini:


relatio: ordo unius ad aliud;

divina: increata;

realis: quae non tantum cogitatur sed etiam esse vere, affirmatur;

subsistens: ens simpliciter; id quod est; et ideo subsistentia non sunt 1) accidentia quae insunt ei quod est, 2) principia entis intrinseca quae ipsa non sunt sed iis constituitur id quod est, 3) possibilium quae esse possunt sed non sunt,

¹² AAS 42 (1950), 568.



extra secundum quod creatura ex Deo procedit³⁶. Dicitur ad extra secundum potentiam ad opposita, sed dicitur ad intra secundum quod vere dicitur id esse posse quod necessario est³⁷. Prout ad intra dicitur, est potentia vel generandi vel spirandi; inquantum potentia est principium, in recto dicit divinam essentiam; inquantum potentia generandi et spirandi dicit aliquid proprium, in obliquo importatur relatio³⁸; et quidem inquantum potentia generandi est ut generet, importatur paternitas in obliquo; inquantum autem est ut generetur aliquis, importatur filiatio in obliquo; et similiter distinguitur active et passive significata potentia spirandi³⁹.

Quibus perspectis, admiraris brevem et simplicem elegantiam S. Thomae circa principia vel potentias, unde actus notionales sint. Cum enim in divinis nulla sit realis distinctio inter perfectibile et perfectionem, inter substantiam et potentiam operativam, inter intellectum et voluntatem, quaestiones de principio remoto et proximo verbi et amoris non sunt nisi quaestiones secundum modum significandi, quae totae solvuntur secundum conclusiones pure philosophicas. Theologicae autem distinctiones sunt inter emanationem causalē ad extra et emanationem intelligibilem ad intra, inter emanationis principium et id quod emanat, inter emanationem intelligibilem secundum veritatem et emanationem intelligibilem secundum sanctitatem. Et haec duae emanationes distinguuntur, non quia aliud sit divinum verum et aliud divinum bonum, non quia alius sit divinus intellectus et alia sit divina voluntas, sed quia contradictio implicatur si eadem dicitur emanatio secundum veritatem ac emanatio secundum sanctitatem, uti supra probatum est.

Alius, aliud. « Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud »⁴⁰.

Solus. Non dicitur absolute ut significetur *solitarius*; dicitur tamen comparative de essentialibus, v. g., solus Deus


³⁶ *Ibid.*

³⁷ *Ibid.*, ad 2m.

³⁸ *Ibid.*, a. 5.

³⁹ *Ibid.*, a. 6., ad 1m.

⁴⁰ Greg. Naz., Ep. 1 ad Cledon., MG⁸ 37, 179. DB 432. Cf. *Sum. theol.*, I, q. 31, a. 2, ubi ulterius addiscitur evitanda esse de divinis personis nomina *diversitatis, differentiae, separationis, divisionis, disparitatis, discrepantiae, singularis, unici, confusi, solitarii*.



est aeternus⁴¹. At caute omnino adhibendus est de personalibus propter rationes multas et intricatas quas exponit Aquinas⁴².

Deus genuit Deum, vere dicitur. Nam nomen, Deus, significat eum qui naturam divinam habet, seu essentia concrete significata supponit pro persona. Sed alius, qui naturam divinam habet, genuit alium, qui naturam divinam habet⁴³.

Pater, Filius, et Spiritus sunt unus Deus, unus creator, sed tres existentes, tres creantes. Quod praedicatur de personis ponitur in singulari vel plurali, secundum quod praedicatum est substantivum vel adiectivum; nam substantiva habent numerum ex se ipsis, secundum formam significatam; adiectiva autem habent numerum ex suppositis de quibus praedicantur; et ideo dicitur, *unus Deus*, quia una est essentia divina, *unus creator*, quia unum est principium creandi, sed *tres existentes vel creantes*, quia tres sunt qui existunt et creant⁴⁴. Symbolum autem « Quicumque » [DB 39] reverenter exponi solet secundum quod adiectiva sensu substantivi dicuntur.

*Pater et Filius sunt unus spirator sed duo spirantes*⁴⁵. Ratio autem est eadem ac supra.

Deus est Pater et Filius et Spiritus sanctus, est Trinitas, est tres personae. Quod verum est per identitatem, cum tam subiectum quam praedicatum dicant supposita divina⁴⁶.

Substantia, essentia, natura divina ... non est generans neque genita nec procedens. DB 432. Et ratio est quia propria abstracte significata non praedicantur de essentialibus abstracte significatis⁴⁷. Caeterum recoli oportet, quod supra dictum est, illegitimum esse syllogismum ex proprio per commune ad proprium.

⁴¹ *Ibid.*, q. 31, a. 3.

⁴² *Ibid.*, a. 4.


⁴³ *Ibid.*, q. 39, a. 4.

⁴⁴ *Ibid.*, q. 39, a. 3.

⁴⁵ *Ibid.*, q. 36, a. 4 ad 7m.

⁴⁶ *Ibid.*, q. 39, a. 6; a. 5 ad 5m. Cf. DB 432.

⁴⁷ *Ibid.*, q. 39, aa. 5 et 6.



declarationum seriem intendere, in qua dogmatum evolutio perspicitur: haec enim ipsius seriei intentio vires humanas ita excedit, ut tamen Deo intendente, volente, gubernante, imo infallibiliter assistente, effecta sit. Neque cur efficiatur obscurum est, cum necessarium fuerit ut ecclesia Dei catholica atque universalis divinam revelationem catholice et universaliter exprimere possit.

Quam dogmatum evolutionem concomitatur augmentum intelligentiae, scientiae, sapientiae. Aliquid enim intelligit, qui imperfecte vel *homōus* vel transsubstantiationem intelligit. Quae qui intelligit, aliquid plus intelligit quam illi qui de consubstantialitate vel transsubstantiatione numquam clare et distincte cogitaverint. Sed ubi plus intelligitur, augetur sane intelligentia. Ubi ex aucta intelligentia deducuntur conclusiones, augetur scientia. Quo plura intelliguntur et sciuntur, eo magis ad eam sapientiam acceditur, quae omnia ordinat atque iudicat. Denique tandem, cum rerum divinarum sapientia Deo propria sit, ne sapientissimi quidem theologi est de divinis iudicare absolute, sed suum iudicium submittat necesse est ad eum cui Deus his in terris infallibilitatem promisit.


Dogmatum denique evolutionem, et intelligentiae, scientiae, sapientiae augmentum ita Deus per instrumenta ministerialia efficit ut a suo fine attingendo deficere non possit. Si enim abundant qui verum intelligibile diligant, tunc sane crescit et multum vehementerque proficit tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius ecclesiae, intelligentia, scientia, sapientia. Si autem veri intelligibilis refrigerat dilectio, in falsam intelligibilitatis speciem aberrant homines: multiplicantur problemata; suadentur solutiones falsae; oriuntur haereses; ut denique tandem, qui dilectione boni non moveantur, saltem per mala ingravescentia compellantur. Quam ob causam, sive verum intelligibile volumus, sive nolumus, minime impediri potest illud augmentum, quod Deus intendit et viis suis inscrutabilibus efficaciter producit.

Quae cum ita sint, ex quo incepimus, ad Aquinatem redeamus. Nostris enim temporibus non desunt quos ad disputationes magistras theologiamque speculativam parum moveat illud argumentum quod, eiusmodi disputationibus omissis, auditor « nihil scientiae vel intellectus acquirat, sed vacuus abscedet ». Quos tamen abstractum scientiae nomen non convincit, concreta forte scientiae realitas allicere potest. De illa

RU
homōus

8/10

W



enim mysteriorum intelligentia agitur, quam non solum pedetentim in ecclesiae historia evolvendam vidimus sed etiam ab ipsa divina intentione esse adhibitam ut revelatio, particulari mentalitati accommodata, expositionem universalem catholicamque accipiat.


SECTIO OCTAVA

De obiecto theologiae.

Postquam consideravimus tum finem tum actum quo finis attingitur tum motum quo ad actum proceditur, oportet haec omnia in unum colligi, ut quodammodo per modum unius perspici possint. Quapropter, cum actus per obiecta et motus per terminos innotescant, breviter disserendum videtur 1) de duplici theologiae aspectu, 2) de eius obiecto ut fine, 3) de obiecto ut termino immanenter producto, 4) de obiecto ut movente, 5) de processu ex obiecto ut movente in obiectum ut terminum, et 6) de processu ex obiecto ut termino in obiectum ut finem.

Primo, ergo, considerari potest theologia tum secundum se tum secundum comparisonem ad alias scientias. In quantum secundum se consideratur, de obiectis et processibus agitur. In quantum autem ad alias scientias comparatur, distinguendum oportet inter commune et singulare. Omnibus enim scientiis commune est ut ita inter se distinguantur ut tamen non separentur, cum una sit rerum universitas intelligenda, neque unius hominis sit nisi unus intellectus qui omnem meram multipliciter invidetur patiatur. Praeterea, permultis scientiis commune est ut alia aliam adhibeat in propriam perfectionem: quod quidem eo magis verificatur, quo magis ipsa concreta perfectioris obiecti realitas respicitur; et ita plures scientiae concurrunt in plantis cognoscendis quam in mineralibus, in animalibus quam in plantis, in hominibus quam in animalibus. Denique, singulare quoddam opus munusque sapientiae exigitur (cuius est omnia iudicare et ordinare), ut singulis scientiis et proprii fines determinentur et methodi propriae adaptentur, quo efficacius omnes in unam cohaerentemque intelligentiam unius universi procedant.

Quibus perspectis, elucet tum theologiam alias scientias, maxime autem humanas, in suos usus convertere, tum etiam




alias scientias, et praecipue humanas, a theologia addiscere oportere, cum hac in vita homo sit et peccato originali infectus et supernaturali Dei gratia ecclesiaeque magisterio adiutus. Qua in mutua opitulatione (DB 1799), sapientiae munus exercet theologia, tum quia superiori fidei lumine dirigitur, tum quia sola hominem (prout de facto in statu naturae lapsae et reparatae versatur) in causas reducere potest. Quare, quamvis theologia etiam hoc in munere sapientiali alias scientias, puta, logicam, methodologicam, philosophicam, adhibere solet et debeat, ipsius tamen est iustos singulorum fines determinare (DB 1799).

Porro, in quantum theologia secundum se consideratur, tamquam particularis quaedam scientia, ea respicit obiecta quae supernaturali fidei lumine innotescunt, puta, Deum trinum, Verbum incarnatum, et caetera quae ad oeconomiam salutis pertineant. Inter se autem differunt fides et theologia, non quia alia et alia obiecta intendant, sed quia eadem obiecta alio et alio modo considerant. Quod enim credit fidelis, idem aliquatenus intelligit theologus; quod ergo fidelis ut verum affirmat, theologus ut verum intelligibile intendit. Sicut enim scientia non est quaelibet certa cognitio sed est certa rerum per causas cognitio, ita etiam super simplicem fidem addit theologia, in quantum ex vero credito in verum et creditum et aliquatenus intellectum procedit.

Deinde, sicut obiectum intellectus ut finis est ens, ita obiectum theologiae ut finis est Deus. Iterum, sicut obiectum intellectus ut finis non est aspectus quidam entis vel entis quaelibet ratio vel notio sed id ipsum quodcumque existit, ita etiam obiectum theologiae ut finis non est aspectus vel ratio vel notio Dei sed ipsa divina realitas. Cui primario obiecto accedunt alia secundaria, sive quia per ea in Deum ascendimus, sive quia in eo verius et plenius cognoscenda, Deo cognito, redimus. Quae quidem obiecta secundaria, quatenus ad obiectum ut finem pertinent, non secundum aliquem aspectum vel rationem vel notionem sed secundum ipsam eorum realitatem considerantur. Quare, cum theologus de oeconomia salutis inquirat, non notionem sed realitatem cognoscere vult.

Tertio, sicut intellectus ens determinatum in vero determinato tamquam in medio conspicit, ita etiam theologus obiectum ut finem attingit mediante quodam termino immanen-



in materia corporali existens; quam ob causam, hac in vita nisi per analogias quasdam neque Deum neque angelos intelligere vel concipere possumus; sed alteram exspectamus vitam in qua divina quidditas seu essentia immediate nostrum intellectum moveat.

Proinde, obiectum quod ad intelligentiam theologicam nos movet, remote quidem est ipsa divina essentia seu quidditas, proxime autem est verum quod Deus de se nobis revelavit et per ecclesiam nobis proponit et ipsi *N* fidei suscipimus.

Et idcirco differt theologia a scientiis naturalibus, quae ex sensibilibus incipiunt et per intelligentiam ad verum inveniendum procedant. Non enim ex sensibilibus incipit theologia sed ex veris revelatis et creditis; neque ad eam attingit intelligentiam, quae ad verum certo inveniendum sufficiat, sed ad illam obscuram, analogicam, et imperfectam, qua verum, iam aliunde cognitum, aliquatenus illustratur et plenius possidetur.


Praeterea, quia obiectum movens ad intelligentiam theologicam est verum revelatum, principia scientiae theologiae dicuntur articuli fidei. Ulterius, cum scientiae subalternatae sit ut principia sua ex alia scientia accipiat, theologia scientiae subalternatae assimilatur, in quantum ex iis principiis incipit, quae ex scientia divina per revelationem atque fidem accipit. Denique tandem cum nulla scientia qua scientia mensuretur secundum cognitionem praescientificam ex qua incipiat, ita etiam perperam theologia scientia ut scientia mensuratur secundum cognitionem fidei ex qua incipit.

Quinto, perspectis obiectis, iam considerandi sunt processus qui inter obiecta, quasi motus inter terminos, versantur. Et primo de eo processu agendum est qui ex obiecto movente in obiectum ut terminum progreditur.

Quo in processu, duo maxime distinguuntur. In unaquaque enim aetate convenienter distinguitur inter motum quemdam fundamentalem, quo iam cognita in scholis traduntur, et motum alium et superadditum, quo actu investigantes augmentum intelligentiae, scientiae, sapientiae promovere nituntur.

Secundum primum ergo atque fundamentalem motum incipitur ex iis quae nunc temporis vel manifeste ad ipsam fidem pertinent, vel manifeste cum fide connectuntur; deinde

N / per
E /
rw



ex his veris atque manifestis, per viam analyticam ad eas conclusiones proceditur quae, quoad se, priores, notiores, manifestiores iudicantur; tertio, per viam syntheticam et ordine inverso ex prioribus quoad se proceditur in intelligentiam tum ipsius veri revelati tum etiam revelabilium quae cum vero revelato connectuntur.

Secundum alium vero et superadditum motum, numquam deficiet sive obiectum movens sive necessitas impellens. Nam verbum Dei scriptum et traditum « tot tantosque continet thesauros veritatis, ut numquam reapse exhaustiatur », et ideo « sacrorum fontium studio sacrae disciplinae semper iuvenescent »²⁶. Sed obiectum movens ad intelligentiam theologiam est verbum Dei scriptum et traditum. Numquam ergo ex parte obiecti moventis deerit motio ad theologiam intelligentiam, scientiam, sapientiam augendam. Quod si huic motioni parum attenditur, accedit necessitas impellens. Ita enim condiciones culturales vitae humanae perpetuo fere commutari solent, ut non solum bonos fructus exserant sed etiam hominis lapsi atque peccaminosi ignorantiam atque malitiam manifestent. Porro, sicut et ignorantia, ita etiam malitia, quae lucem non diligit, rarius directe iis opponitur quae theologia clare intelligit atque efficaciter docet, frequentius autem atque probabilius ea indicat quae theologi vel non satis perspexerint vel perspecta haud efficaciter docuerint. Quam ob causam, cum eatenus augeantur tum pastoralis officii tum laboris apostolici problemata, quatenus condiciones culturales in peius commutentur, ex ipsis his problematibus oritur impulsus ut in iis perficiatur theologia ubi et ipsa profectu indigeat et practica urgeat necessitas.

Attamen duplex problematum genus agnoscere oportet. Alia enim problemata sunt quae ideo solvantur quia vetera novis augeantur atque perficiantur; et circa quaestiones eiusmodi adhibendus est motus superadditus qui ex revelatione divina movente ad verum plenius intelligendum perveniat. Alia autem sunt problemata longe graviora, ubi id ipsum disputatur utrum re vera sint problemata, ubi dissentitur de ipsa problematis natura qualis sit, ubi id quod aliis remedium esse videtur, ab aliis opponitur atque impugnatur tamquam malorum augmentum. Quibus sane in adiunctis, nihil proficiet qui ve-

²⁶ AAS XLII (1950), 568.

